

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ebrietas ad
cum fonte primo

Interim, si hoc colligere uis,
uirum bonum non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis?
Dic quam turpe sit plus sibi ingerere quam capiat
et stomachi sui non nosse mensuram
quam multa ebrii faciant quibus sobrii erubescant,
nichil aliud esse ebrietatem quam uoluntariam insaniam.
Extende in plures dies illum ebrii habitum;
numquid de furere dubitabis?
Nunc quoque non est minor sed breuior.

Seneca ibidem (LXXXIII. epistola ad Lucillum).

Nam de illo videbimus,
an sapientis animus nimio vino turbetur et faciat ebriis solita:
interim, si hoc colligere vis,
uirum bonum non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis?
Dic quam turpe sit plus sibi ingerere quam capiat
et stomachi sui non nosse mensuram,
quam multa ebrii faciant quibus sobrii erubescant,
nihil aliud esse ebrietatem quam uoluntariam insaniam.
Extende in plures dies illum ebrii habitum:
numquid de furore dubitabis?
nunc quoque non est minor sed breuior.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 83.18
(L. Reynolds ed., vol.1, p.282, ll.18-26).